

Caspar Mauritius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius, Th. D. P.P. & Superint. Ad Exequias, Quas ... Puero Johanni Ridemanno Filiolo longe desideratissimo Parentes Moestissimi Hodie ... paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum Cives Academicos paramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775775673>

Druck Freier  Zugang




Mavritius, C.


in

**J. R i d e m a n n .**

Rostock, 1657.







PROGRAMMA

*Quo*

RECTOR

VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

CASPARVS MAVRITIUS,

Th. D. P. P. &amp; Superint.

Ad Exequias,

*Quas*

Indolis egregiæ &amp; maximæ spei

PUERO

JOHANNI  
RIDEMANNO

Filio longè desideratissimo

PARENTES MOESTISSIMI

*Hodiè in templo Mariano ad horam I.**paratas cupiunt,*

Omnes omnium ordinum Cives Aca-

demicos paramanter invitatur,



•• (o) ••

ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII,  
Acad. Typogr. Anno 1657.



*Vi vicerit, faciam, ut sit columna in templo DEI mei: nec foras egredietur amplius.* In hac divina promissione duo sunt amplissima momenta. Primum in illis verbis: *Faciam ut sit columna in templo DEI mei.* Habuerunt Ethnici sua templa: Christiani sua habent: habuere templū olim magnificentissimum Iudæi. Atque ut ab Ethnicorum templis ordiamur, non dicemus de templo, quod Jovi Semiramis erexit, miranda prorsus & stupenda altitudine, non de æde Jovis Capitolini, cujus fundamentis Tarquinius Superbus Rex Romanorum quadraginta millia pondo argenti impendit, non de Pacis templo, quod mira celeritate & excellentia exstrui curavit Vespasianus Imp. non de aliis Ethnicorum delubris maximo sumtu impensisq; ingentibus ædificatis. Tantum attingi fas sit templum Ephesiæ Dianæ sacris quoq; scriptoribus memoratum, CXX. annis factum ab ASIÀ tota. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico atq; instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substravere carbonibus, deinde velleribus lanæ. Universo templo

plo longitudo est CCCCXV. pedum, latitudo CCXX.  
Columnæ CXXVII. à singulis Regibus factæ, LX.  
pedum altitudine: ex iis XXXVI. cælatae, una à  
Scopa. Operi præfuit Chersiphron architectus:  
Summa miracula, epistylia tantæ molis attolli potuisse.  
Id consecutus est ille peronibus harena plenis, molli  
pulvino super capita columnarum exaggerato, paula-  
tim exinaniens imos, ut sensim totum insideret. Dif-  
ficilimè hoc contigit in limine ipso, quod foribus im-  
ponebat. Etenim ea maxima moles fuit, nec sedit in  
cubili, anxio artifice mortis destinatione suprema.  
Traduntq; in ea cogitatione fessum nocturne tempore,  
in quiete vidisse præsentem deam, cui templum fiebat,  
hortantem ut viveret, se composuisse lapidem, atq; ita  
postero die apparuit, pondereq; ipso correctus videba-  
tur. Cætera ejus operis ornamenta plurium librorum  
instar obtinent. Tectum ejus è cedrinis trabibus.  
Deæ simulacrum alii ex ebano, Mutianus vitigineum &  
nunquam mutatum septies restituto templo, Valvæ  
erunt è cupresso, vide Plin. lib. XVI. cap. XL. Ad Chri-  
stianorum templa magnifica veniamus, eademq; non  
omnia, quis enim ea oratione complecti valeat? neq;  
ante oculos omnium versantia, quale nostrum est  
Marianum, quod structuram si spectes, merito inter  
eminentia Europæ templa numeratur, sed unum al-  
terumve præconis scriptorum nobilitatum. Constans  
M. basilicas Petri & Pauli auratis trabibus ac mul-  
tiplici columnarum ordine, ut omnem superarent tem-  
plorum veterum opulentiam, exornavit, ac patrimo-  
niis toto occidente dispersis ad Ecclesiarum usum & ma-  
gnificentiam auxit. Justinianus Imp. Constantinopoli  
templum magnum S. Sophiæ dedicavit, & incendio con-



funtum tanta operis magnificentia restituit, ut vicisse se  
in eo officio vel ipsam Salomonis gloriam prædicaret.  
Templum D. Marci Venetiis ornatu insigne, si primum  
ingrediare, crucis figuram præferre videtur: cujus an-  
guli in altissimas consurgunt testudines. Quarum fasti-  
gia, ut reliqua templi facies, plumbeis tegulis operata, ad  
centum viginti stadia ex alto ad urbem navigantibus in-  
ter eminentissima urbis ædificia occurrunt. Superbissimi  
ad id fornices, mira inter se arte coeuntes, totam molem  
fulciunt. Quicquid operis est à media templi parte pu-  
rissime fulget auro, mussino opere mirifice variatum.  
In ipso testudinum connexu Græcanici operis vetustis-  
simæ imagines, mœsta quadam venerabiliq; præsentia,  
horrorem cum religione mixtum spectantium animis  
inserunt. Marmoreæ undiq; tabulæ, ad pavementum  
usq; ipsum, varii marmoris occurrunt, tanto artificio si-  
bi ad invicem compositæ, ut eadem inter se similes vi-  
deri possunt. Sedilia circum ædem marmorea. Pavi-  
mentum vermiculato opere, marmoreis frustis distin-  
ctum. Columnæ complures Parii lapidis vel Tapfici aut  
Numidici, cum duplici suggestu marmoreo. Cautum  
publico decreto fuerat, ut quicquid egregii operis Veneti  
ipsi navigantes quocunq; terrarum ambirent, id ipsum  
Venetias deferrent; Vestibuli aurei fornices trecentis &  
amplius fulciuntur columnis, magnitudine & colorum  
varietate conspicuis: intercolumnia & quicquid in area  
ipsa operis est, cum ipso pavimento marmoreis tabulis  
pro tectorio renitet. Vestibuli Partem superiorem equi  
quatuor ænei, diverso statu varioq; exornant. Templi  
supereilium senis se pinnaculis explicat: quorum singula  
in tabernaculi speciem surrecta, singulas habent ex can-  
dido lapide statuas, nudi genii, aliaq; splendidissimi ad-  
spectus

ſpectus ſimulacra, ſuo quæq; ſtatui operibus in ſertâ,  
miro quodam modo, ipſam pinnarum exornant inter  
capedinē. Superſunt templa judaica. Templi Salomonis  
in uſitatam magnificentiam libri Regū & Chronicorum  
clamant. Templi quod Babilonica captivitate ſoluta,  
Zorobabel ædificavit, ſplendor inde relucet, quod ad id  
collata ſint auri drachmarum unum & ſexaginta millia,  
argenti minarum quinq; millia. Herodes Rex Judæo-  
rum ad templi hujus reparationem X. anno regni mille  
plauſtra paravit, quæ lapides convexerunt, & ex omni  
artificum copia peritiſſimos ſelegit, ad X. millia, & in-  
ſuper mille ſacerdotes ſtolis ſacerdotalibus ſuo ſumtu  
veſtitos, partim cæmentariæ, partim lignariæ fabricæ  
non imperitos: hoſq; omnes adhibuit operi, materia  
jam ante convecta. Sublatis deinde veteribus funda-  
mentis, & novis reſiſtis, deſuper templum extruebat,  
longitudine centum cubitorum, altitudine totidem &  
XX. amplius. Fertur toto tempore, quò templum ſtrue-  
batur, nunquam interdium pluiffe, noctu tantum imbribus  
deſcendentibus, ne interrumperetur ædificatio. Opus  
totum ſpatio novem annorum perfecit, admirabile tam  
manus artificio, quam materiæ precio. Videatur Joſe-  
phus lib. XV. Antiqu. cap. XIV. Conf. Matth. XXIV.  
1. Ad hæc Judæorum templa ſtupendæ magnificentiæ  
pleniffima Chriſtus reſpicit, & electos columnas fore  
in templo DEI aſſerit. Cæterum non loquitur de tem-  
plis manufactis, ſed de cœlo beatorum, cujus exſtitere  
figuræ templum Salomonis & Zorobabelis. In illo ele-  
ctorum templo *DEUS omnia erit in omnibus*, quia maje-  
ſtate & gaudiò ineffabili implebit omnia. Cum iſto bea-  
torum templo ſi quantum libet magnifica comparentur  
hujus ſæculi templa, umbra ſunt & vanitas & nihil. Al-

terum momentum est in istis: *Et non egredietur amplius foras.* Columnæ hujus seculi franguntur, deijciuntur. At non frangentur, non deficientur columnæ seculi futuri. Stabilem ibi habebunt civitatem, nec unquam defituram, quam nec Nebucadnezar, nec Romani, nec mors, nec Diabolus deniq; evertere unquam poterunt. Tunc fiet illud, quod scriptum est: *Absorpta est mors in victoriam.* Merito hic exclamamus cum Davide: *Quam amabilia sunt tabernacula tua, ð Jehova exercituum.* Desiderio afficitur, etiamq; deficit anima mea veniendi ad atria Jehovæ: *cor meum & caro mea exclamant veniendi ad DEUM fortem viventem desiderio.* Latemur de eo quod dicitur nobis, **DOMUM JEHOVÆ adibimus!** Adiit eam egregiæ indolis & maximæ spei puer **IOHANNES RIDEMANNUS.** Fuit hic templum **DEI:** inhabitavit per fidem Christus in corde ejus: templum fuit Spiritus sancti, uno verbo **VICIT.** Reliquum ergo est, ut & corpore & anima fiat columna in templo **DEI** nostri, nec unquam egrediatur foras. Id erigat, id soletur inœstissimos Parentes, id leniat & mitiget conceptum ex duplicato vulnere acerrinum dolorem. Nos in hac miseriarum valle cum Davide suspiramus: *Sicut cervus glocitat adspirans ad alveos aquarum; sic anima mea glocitat adspirans ad te DEUS: sitiens est anima mea DEI, DEI fortis viventis, dicens: quando accedam ut appaream in conspectu DEI?* Istis suspiriis piè defunctus opus minimè habet: potitur quippe *Bono summo,* quod hic spe præoperat, factus columna in templo cœlesti, confors gloriosissimæ manifestationis majestatis divinæ, particeps throni Servatoris, socius Angelorum, Doctor omnibus numeris absolutus, in **DEO** in Agno æternis laudibus, jubilis, hymnis exultaturus, Natus est Anno **M. DC. XLV. XXIIX. Septemb.** Patre Viro plu-


plurimum Reverendo & Excellentiss. Dn. NICOLAO  
RIDEMANNO, SS. Th. Lic. & Ecclesiast. Mariano  
meritissimo, Dn. Coll. & compatre conjunctiss. Matre  
BARBARA QVISTORPIA Fæmina virtutum ma-  
tronalium splendore decoratis. Avus ei paternus fuit  
HENRICUS RIDEMAN, Civis & Negotiator chilo-  
nii in Holsatia quondam florentissimus, Vir à pietate &  
candore commendandus : Avia Paterna est ANNA  
Dreßers/Matrona piissima & laudatissima. Avum ma-  
ternum habuit Virum admodum Reverendum Amplis-  
simum atq; Excellentissimum Dn. JOHANNEM  
QVISTORPIUM SS. Th. Doct. ejusdemq; Facultatis  
quondam Seniore celeberrimum atq; Ecclef. Rost-  
chiensis Superintendentem meritissimum : Aviam Ma-  
ternam BARBARAM Domans/Matronam piissimam  
laudatissimamq; Filiam STEPHANI DOMANNI  
J.C. & Advocati apud Osnabrugenses quondam clariss.  
Magni illius DOMANNI Civitatem Anseaticarum  
Syndici celeberrimi Fratris. His majoribus & Parenti-  
bus ortus piè defunctus noster & Chr. in sacro regene-  
rationis lavacro commendatus & porro ad pietatē à re-  
neris assuefactus est. Eminebat in eo ingenii alacritas,  
conjuncta cum singulari affabilitate & gratiâ apud  
Deum & homines, & in literarum studiis processus con-  
spiciebantur haud contemnendi. Etenim in Poesi Bar-  
læi Poemata & Buchanani Paraphrasin in Psalm. à Præ-  
ceptore doctissimo Dn. Joachimo Babatio audiverat, & in  
Græcis eos fecerat progressus, ut textum Evangeliorum  
dominicaliū resolvere ipsi perfacile esset. Stylū forma-  
verant tum lectio Colloquiorum Erasmi & Epistolarum  
Familiarium Ciceronis, tum crebra & diligens exerciti-  
orum Scholasticorum compositio. In sacris compendii  
Hatte.

Hutteriani ductum feliciter & cum fructu sequebatur. Jamq; spes amplissimas conceperant Parentes, in his terris futurum, ut olim DEO honori & sibi gaudio esset. Sed aliter DEO visum fuit, in cujus manu sunt tempora nostra. Morbo enim correptus ante sextiduum, prostratis omnibus viribus, frustra; adhibitis remediis, vitam hanc finire & meliorem adire iussus est. De morbo audiamus Dnn. Medicos, quorum sententiam Vir Experimentissimus & Excellentissimus Dn. JOHANNES BACMEISTERUS Med. D. & Prof. hujusq; Urbis Physicus celeberrimus, Dn. Coll. & Amicus pl. honorandus expressit: *Cum jam Vir pl. Rev. ac Clariss. Dn. Lic. Nicolaus Ridemannus sublato è vivis minori natu filio charissimo Stephano omni firma & stabilia in suis speraret adibus; Ecce Febris continua eaq; acuta vehementibus & grav. concomitata Symptomatum morbillorum eruptione tanta vehementia Filium natu maximum adoritur, ut spretis omnibus ex artis praeceptis adornatis remediis, naturam licet vehementer reluctantem superaret & ex improvise quasi è statione sua abriperet.* Mortem pie defunctus excepit precibus & ingeminatione Psalmorum poenitentialium, imprimis Psal. VI. CXXX. & XXII: ut & Canticorum: *Herr Jesu Christ/ du höchstes Gut/ du Brunquell aller Gnaden/ etc. Herr Jesu wan ich nicht mehr reden kan/ so nim mein letztes Seuffzen an, Ich habe mein Sache Götter heimgestellt/ Er mach es mit mir/ wie es ihm gefelt/ etc.* dictorum item Scripturæ: *Christus ist mein leben/ Sterben ist mein Gewinn/ Herr wan ich nur dich habe/ etc. Wie der Hirsch schreiet noch frischen Wasser/ etc. Ich weis das mein Erlöser lebt etc. Herr Jesu dir lebe/ dir sterbe ich/ dein bin ich todt und lebendig/ etc.* Sic luctatus ad beatam immortalitatem evectus est præterito die Lunæ hora XI, matutina. Cum autem hodie corpus terræ, cui originem debet, sit Christianæ sepulturæ ceremoniis reddendum, summo studio à vobis, Cives Academici, contendimus, ut partem acerbissimi doloris, quem geminum vulnus mœstissimis Parentibus attulit, in vos recipere, atq; in honorem Reverendi Ministerii, memoriamq; Familiarum celeberrimarum frequentes convenire & ultimum pie defuncto humanitatis officium persolvere haud dedignemini.

P.P. Rostochii sub sigillo Rectoratus XII. Mart.  
Anno M. DC. LVII.

Conventus erit in templo Mariano hora prima.











spectus simulaera, suo quæq; statui op  
miro quodam modo, ipsam pinnarum  
capedinē. Super sunt templa judaica. Te  
in usitatam magnificentiam libri Regū  
clamant. Templi quod Babilonica capt  
Zorobabel ædificavit, splendor inde rel  
collata sint auri drachmarum unum & s  
argenti minarum quinq; millia. Hero  
rum ad templi hujus reparationem X. a  
plaustra paravit, quæ lapides convexer  
artificum copia peritissimos selegit, ad  
super mille sacerdotes stolis sacerdotal  
vestitos, partim cæmentariæ, partim li  
non imperitos: hosq; omnes adhibuit  
jam ante convecta. Sublatis deinde ve  
mentis, & novis repositis, desuper temp  
longitudine centum cubitorum, altitud  
XX. amplius. Fertur toto tempore, quo  
batur, nunquam interdium pluisse, noctu  
descendentibus, ne interromperetur æ  
totum spatio novem annorum perfecit, a  
manus artificio, quam materiæ precio.  
phus lib. XV. Antiqu. cap. XIV. Conf. M  
i. Ad hæc Judæorum templa stupendæ  
plenissima Christus respicit, & electos  
in templo DEI asserit. Cæterum non lo  
plis manufactis, sed de cœlo beatorum,  
figuræ templum Salomonis & Zorobab  
etorum templo *DEUS omnia erit in omni*  
state & gaudiō ineffabili implebit omnia  
torum templo si quantum libet magnifica  
hujus seculi templa, umbra sunt & vanitas

A 3

